

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843, enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0505

0503

0509

0499

0514

0494

0554

0454

0604


0404

1004

0004

Ende

Anfang



490

**(56 a)** De sepulchro beatissimae virginis S. Catharinae et de sacrosanctis ejus reliquiis et quo ordine ostenduntur dominis peregrinis christianis et quid hodie sit de miraculo olei, quod dicitur de ejus tumba effluere, et de translatione corporis S. Catharinae et rubo Moysis et aliis locis indulgentiarum ejusdem ecclesiae, per totum caput illud.

Die XXVI. statim transacta media nocte dicto officio ad Missas legendas nos disposuimus et milites saeculares se disposuerunt ad sacram communionem. Erat enim sexta feria et alia die, ut sperabamus, instabat recessus noster. Dictis ergo matutinis et primis audivimus militum sociorum nostrorum confessiones et successive in capella nostra celebravimus et peregrinos saeculares paene omnes communicavimus. Interea cum clara facta esset dies, descendimus in S. Catharinae ecclesiam ad videndum ejus sacras reliquias. Nobis ergo in ecclesia existentibus venit pater monasterii cum omnibus suis monachis, gestantes in manibus singuli candelas ardentis; sic et nos peregrini omnes ardentis cereas in manibus habuimus et hinc et inde tumbam S. virginis circumstetimus. Accessit ergo sacrista conventus cum clavibus et seras tumuli conatus est aperire, sed non potuit, quia tam serae quam claves totaliter rubigine erant infectae et indispositae, tandem autem cum adjutorio aliorum fratrum magna vi et labore seras aperuerunt et tumbam sacri corporis patefecerunt. Amoto ergo operculo tumbae marmoreo inceperunt monachi cantare quandam antiphonam, cantu et verbis graecis, in quo nihil penitus intelligere poteram, nisi apostoli et martyres; haec duo nomina repetitis vicibus cantabant inter alia, idem autem et apud Graecos et apud Latinos sonant et significant et de graeco in latinum sunt assumta. Porro ipsis cantantibus accessit pater monasterii ad loculum et facta profunda inclinatione ascendit ad tumbam, quae in altiori loco posita est et capite in tumbam immerso deosculabatur divinae sapientiae gazophylacium, sacrum virginis caput, et erigens mansit ibi stare ad caput tumbae. Post eum omnes monachi accesserunt.